

credentibus Regnum cœlorum. Tu à dextris Dei sedes in gloria Patris, Judex certus venies. Te adoramus, domesticos tuos juva, quos pretioso tuo sanguine redemisti, & fac in æterna gloria sanctis annumerari. Serva populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & pasce ipsos, & extolle illos usque in seculum. Singulis diebus te laudamus, & celebramus nomen tuum in secula, & seculorum secula. Dignare Domine in illa die sine peccato nos custodiri. Misere nostri Domine, miserere nostri. Sit Domine misericordia tua super nos, sicut speramus in te. In te Domine speramus, & non confundemur in æternum.

SYMBOLUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Appellatur vulgò primum Constantinopolitanum, celebratum est Constantinopoli Anno Christi 381. Imper. Theodosio Seniore, in quo damnata fuit Hæresis Macedonii, qui Deitatem Sp. Sancti infestabat. Intererant Episcopi 150. Symbolum peculiare non edidit, sed confirmavit Nicenum, & hanc particulam contra *Macedonium & Pneumatomachos* post illa verba: *Et in Sp. Sanctum*, addidit: *Dominum & vivificantem, qui ex Patre & Filio procedit, qui cum Patre & filio simul adoratur & conglorificatur.*

SYMBOLI EPHESINI.

(*Ephesinum Concilium celebratum est Ephesi, Anno Christi 431. Imp. Theodosio Juniore, in quo explosa fuit heresis Nestorij, qui negatâ Communicatione Idiomatum, ex una Persona Christi duas faciebat. Intererant Episcopi 230. quorum præcipui erant Cyrillus Alexandrinus, & Juvenalis Hierosolymitanus.*)

Vice funguntur duodecim Anathematismi, à Cyrillo Alexandrino concepti, quorum verba hæc sunt.

1. Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emanuel, & propterea Dei genitricem Sanctam virginem, (peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est, Verbum caro factum est) anathema sit.

2. Si